



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quęstio 1. Cur Christi aduentus fulguri co[m]paratur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Nazianz. orat. i. in Julian. Epiph. hares. 30. Athanasius in vita S. Antonii, Hieron. de Hilarione. Nyssenus de Gregor. Thaumaturgo. Paulinus lib. 3. de Martino, & in eiusdem vita Sulpitius. Ignatius ad Philipp. Ambrosius lib. 10. Epist. 85. Chrysostomus de Catena Petri &c. Basilii de mamante; & 40. Martyribus, Prudentius de Laurentio, Agnete, Hippolyto. Nilus ad Heliodorum. Hæc qui calumniantur aut negant, iam dudum etiam Christum negauerunt, cāq; solum causa in seruos Christi tam sunt insolentes. Quod si doctissimum, simul & lectissimum vultuissimumque de minimis Ecclesiæ tractatum videre libeat Christiano lectori, Frederici Forneri Palmam triumphalem legat, in qua præstitum inueniet, quicquid hætenus in ea materia desiderari potuit.

VERSUS 23. 25. 26.

Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis; Ecce in deserto est nolite exire, ecce in penetralibus nolite credere.

QVÆSTIO I.

Quomodo dicent hic, aut ibi est Christus?

§. 1. Quia magna necessitate premitur, quod libet auxilium arripit: Misericordia enim hominem faciunt credulum ut secunda facile somnient, & meliora promittentes diligant. Itaque tempore obsidionis & antecedente, cum bellum iam gereretur, quidam impostores salutem promittentes trepidis, & expectatione suspensis, dicebant: hic, vel illic est Christus &c. vel &c. Hoc vel hoc loco. Duo vero loca præcipue nominant. Desertum, & penetralia, *remota*, loca conclusa, munita. Eo enim auocabant impostores credulum populum. Hoc etiam futurum est in illa magna tribulatione, quæ superuentura est vniuerso orbi. Iam etiam fieri per Antichristi præcursores, & metatores videmus. De excidio Ioseph. l. 2. c. 12. *Seductores namq; hominū, & impostores sub religionis speciem nouis rebus studentibus insinuant fecerunt. Nam insolitudines aggrediebantur promittentes Deum signa illi libertatis ostensuri. Contra quos selex, (videbantur enim semina desolationis esse) mittens equites atque pedites armatos, magnam multitudinem interfecit. Narrat deinde de Aegypto, qui 30000. è solitudine in montem oliuarum eduxit. Simon etiam in deserto 40000. latronum collegit, quibus Ierosolymam instructus venit. Zelotæ in penetralibus, & templi adytis hærebant.*

§. 2. Ridiculum planè est, quod Calviniani ex hoc loco sacramentum Eucharistiæ impugnant. Quasi illi, qui verbis Christi credunt, Hoc esse corpus eius, sint ex his prophetis, qui dicunt, hic, aut illic esse. Hic enim cauere monentur eos impostores, qui alios Christos prædicant, aut Christi aduentum annunciant specie aspectabili: non illos, qui veritatem sacramenti asserunt. Vide Bellar. l. 1. de Euch. c. 14. Non separamus Christum vnum hic, & alibi, & in cælo agnoscimus. olim ita vltus habuit, vide Ambr. de excessu fratris Satyr. c. 7. Optatum l. 2. contra Parmenianum: secum in itinere habuerunt, in templis reposuerunt domi asseruerunt, & verum Christi corpus credebant.

§. 3. Non minus ridiculus est Bullingerus. Constituit primo hæc ad extrema tempora pertinere. Deinde de emeris ait, [qui salutem illis in rebus consti-

tuent, in quibus non est. nempe hic, aut illic, in locis, personis, intercessionibus diuorum. Romæ, Ierosolymis, Compollæ. Iuxta Matie Eremiticæ, Phano A- quanti, missis, confessione, indulgentiis, carimoniis. His veram liberationem impetrari, cum non sit salus nisi in vno filio Dei, Domino nostro, nec nisi per fidem.]

Respondeo. Nondum comperisse me, qui in his remissionem, & salutem constitueret, quæ in solo est Christo, per fidem & caritatem. Grauius sane peccatur, si aliunde petitur salus. Loca ad salutem non faciunt. Inter sanctos verari potest impius, ut inter Sodomitas innocentia tutus sua Lethus. Indulgentiis peccatum non remittitur, nec legi, qui hoc sentiat, aut si quispiam id scripsit, hæreticus est. Poena temporaria, quæ culpæ remissa superesse solet, tantummodo condonatur. Sanctorum intercessionibus eo modo, quo victuorum, profunt. Sunt tamen quædam loca, quæ sanctè visitari solent, vel quia in illis sunt plura ad pietatem incitamenta, vel quia in illis Deus operatur, quæ alibi nusquam facere dignatur. Elegit montem Oreb in quo legem daret, Verberem Silo in qua tabernaculum, Ierusalem in qua templum haberet. Elegit varias memorias martyrum, de quibus Augustinus loco, iam ante citato. Quod si ea loca in quibus fragum, aut vini alteriusue rei copia à Deo præstatur, commodorum caula adeunt profani homines. *Hic segetes illuc veniunt felicitus vna;* cur tandem aut Deo non liceat, quo visum fuerit loco diuitias suæ bonitatis expendere? aut quæ inuidia est, si eo, ubi est vberior beneficentia sese conferunt, qui suæ sibi indigentia sunt conscii?

VERSUS 27.

Sicut enim fulgur exit ab Oriente & paret usque in Occidentem, ita erit & aduentus Filij hominis.

QVÆSTIO I.

Cur Christi aduentus fulguri comparatur?

§. 1. Sine vlla controuersia, aut vilius interpretis disensione, aduentus Christi, qui hic describitur, ad finem mundi pertinet; nullus enim alius futurus, quam ille similis fulguri, omnia complexus, omnia collustrans. Ex quo clara ratione deduco; proximis versibus qui antecedunt eodem referendos. Consequentiam claram facit particula causalis, *Sicut enim.* Syllogismus enim ille est. Cuius aduentus est, sicut fulgur, quod exit ab Oriente & paret usque in Occidentem, de eo dicendum non est, ecce hic est, aut illic, in deserto, aut in penetralibus, nec credendum prophetis ista dicentibus. Sed talis erit aduentus filij hominis sicut fulgur: non ergo dicendum est, hic aut illic est. Maior manifesta est: fulguris enim lux ingens, omnibus est conspicua, & celerissima. Hæc ex argumentatione concluditur, Christum præparare discipulos suos ad eum aduentum, qui extremus est, & contra eos pseudo-prophetas, qui eum antecedunt. Si versus 23. 24. 25. & 26. ad hoc tempus pertinent, idem etiam dicendum, de versu 22. quia vers. 23. ita habet: *Tunc si quis dixerit, &c. Tunc, hoc est tempore dierum breuiatorum.* Hoc si conceditur, etiam vers. 21. ad finem mundi referri debet. Nam dies breuiati sunt tempore tribulationis magnæ. Aduentus igitur Christi plenus erit luce, & maiestate, non ibitur eius causa ad desertum, non quaeretur in conclauihus.

Beza fulguri Euangelium comparat, quod verum est, non tamen Calviniano conuenit, quod isti

